Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26544
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ut absens diligatur. et p̄sens fastidi
atur. Ergo tunc etiam amabis. et multo
magis amabis. et remanebit kari
tas. quando fides. et spes. amplius. non
erunt. hoc sibi uult quod dictum est. ka
ritas nunquam excidet. quoniam hic ha
betur. et illic retinetur. Siue prophetie
euacuabuntur. siue lingue cessabunt.
siue scientia destruetur. Omnia enim
hec. in hac uita tantum sunt. Etiam
ipsa scientia nostra. que modo est. tunc
non erit. non quia tunc nulla erit. sed quia
alia erit. Omnia ergo ista. cum ipsa uita
excidunt. quia non permanent postquam
uidebitur quod creditur. et habebitur
quod speratur. Karitas autem nunquam excidit.
quoniam hic est. et illic erit. et non ha
bebit finem unquam dilectio. sicut finem
non habet inspectio. sicut nunquam separabuntur
a contemplatione. sic nunquam euacuabuntur
a dilectione. sed semper uidebimus. semper
~~speramus~~ diligemus. Sic ergo karitas nonquam excidit.
quia semper manet. Non enim dixit. a mul
lo excidit. sed numquam excidit. quia non
in omnibus manet. et tamen semper ma
net in quibus manet. Nam si propterea